

bat: & non immeritò, Cœlestium munerum nuncium cœlestem esse convenit atq; expedit. §.25. *Gaudent hi Angeli* (Luc. XV, 10.) quia nos olim habituri sunt beatitudinis suæ socios & gloriæ cohæredes, quia filius Dei pro nobis est incarnatus. §.26. *Jubilat cœlestis ille exercitus*, quia ob primi parentis culpas miserè fuit contristatus, invitus ad arma progressus est, tantòq; libentiùs manum retrahit, quantò eam violentiùs Satanus exerit. §.27. Si ergò Angeli nostri causâ tanto gaudent opere, quanto magis gaudendum fuerit nobis, quibus hic infans vel ante tempora Jesaiæ natus est atq; datus, immò *ἀπό καταβολῆς τοῦ κόσμου* (Apo. XIII, 8.) *ἀπὸ καταβολῆς κόσμου* (Eph. I, 4.) *ἀπὸ τοῦ κόσμου εἶναι* (Joh. XVII, 5. Confer Proverbior. IIX.) Namq; ut *Christi passio*, juxta Veteres, sic etiam ipsius *Incarnatio*, profuit *antequam fuit*. §.28. Voces & jubi-
la tollebant Israëlitæ, quum *arca fœderis* ad se adduceretur, quæ *figura & umbra fuit incarnationis Dominicæ*. (Rom. III, 25.) Nobis mil-
lecuplo ampliùs latandum erit, quia ipse ad nos Dominus in as-
sumtâ carne nostrâ descendit: ut nihil de gaudio Abrahæ heic di-
camus, *ὃς ἠγαλλίασατο ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τοῦ χειρὸς τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος* (Joh-
han. IIX, 56. Confer. Luc. X, 24. Psalm. XXXII, 6. XIV, 7.)
§.29. *Infinita* hæc misericordia omnem adeò *finitum* hominis intellectum & cogitationem excedit, ut magnitudinem ejus nec percipere, nec adsequi cogitatione aut verbis valeamus. §.30. Miranda enim est immensa Dei *bonitas*, qui, cum ad ipsum nos *ascendere* non poteramus, ipse ad nos voluit *descendere*. §.31. Miranda est immensa ejus *potentia*, qui ex duobus *distantissimis* unum fecit *conjunctissimum*, nempe ex divinâ & humanâ naturâ unum eundemq; *Θεὸν ἄνθρωπον*. §.32. Miranda est immensa ejus *sapientia*, qui cum nec Angeli nec homines nostræ redemptionis modum ullum cernerent, ipse vidit & stupendum justitiæ ac misericordiæ suæ temperamentum invenit. §.33. *In fasciis involutum* est hoc arcanum, quas præsepe ostentat, nempe Ecclesia Christi: hanc adeamus cum pastoribus, & videbimus verbum hoc quod fecit
Domi-